

4
significavi, sed rationibus etiam multis ostendi. Attamen haec nihil obstant, quo minus egregium Italicae Linguae promptuarium dicenda sit Villani Historia, quam propterea uti duplici titulo laudabilem lubentissime rursus ab Eruditis exceptum iri spero.

Et quidem non inani persuasione spero. Nam quum in animum induxissim, castigatorem quam antea, si liceret, editionem instruere, mihi quae jam dudum comperit foret, pretiosum hujusmodi Historiarum Codicem MStum haberi penes Clarissimum, amplissimumque Virum *Johannem Baptistam Recanatum*, Patritium Venetum, qui jam impenso suo in Literas amore ac studio, atque evulgatis Poggii Florentini Historiis, aliisque lucubrationibus, optime de Republica Literaria hucusque meritus est, sui quae nominis famam propagare pergit: eum precibus adortus sum, ut me uti fineret in omnium utilitatem Villano suo. Neque is difficilem se praebuit ad hujusmodi vota; sed continuo MStum Codicem ad me misit, ratus numquam meliorem usum veterum Librorum fieri, quam quum ad publicam eruditionem amplificandam inserviunt. Est is Codex, ingentis profecto molis, chartaceus, sed ex ea crassa papyro compactus, quae ante aliquot Saecula in usu fuit. Characterum autem forma, & Rubricae, sive Capita minio scripta, eam antiquitatem voluminis indicabant, ut, si quid fidere possum peritiae, quam mihi de hujusmodi rebus comparavi, Librum putem eodem Saeculo XIV., quo Villanus Auctor floruit, fuisse exaratum. Quod tamen longe augere possit pretium Codicis hujus, fere omnia ibi accurate atque emendate conscripta fuere. Uno verbo, non meam tantum conjecturam, sed Eruditorum quoque Florentinorum, qui eum suis oculis perlustrarunt, Florentia difficile parem Villanicae Historiae Codicem habet, difficilius praestantior; qua in re tamen non praetereundum existimo, monitum me fuisse a Clarissimo Viro *Josepbo Antonio Saxio* Bibliothecae Ambrosianae Praefecto exstare in eadem Bibliotheca MStum Codicem pergamenum optimae notae, ac summae antiquitatis, in quo *Johannis Villani* Historia continetur, eam fere diligentiam conscripta, qua *Recanatenensis* praestat, ut in collatione ejusdem peracta comperit fuit. Itaque cum eximio *Recanati* Libro integram Junctarum editionem diligentissime contuli, eaque in re tantum temporis posui (spissum quippe Villani opus est) ut me saepe toeduerit suscepti improbi laboris, cuncta tamen vorarim incommoda in commune bonum intentus. Quid vero praestiterim, quidve ex hujusmodi collatione emerferit, infra patebit: nimirum sylva variantium atque utilium plerumque Lectionum; emendationes vero non paucae. Supplementa etiam accessere, quum ex incuria praecedentium editorum exciderint non tantum complures periodi, sed etiam integrum Caput alicubi. Quae vero minutiores emendationes erant, has inter Notas referre non sustinui, sed in ipsum textum conjeci. Quod moneo, ne si quis in hac editione a praecedentibus diversum aliquid identidem conspiciat, putet a me adjectum aut immutatum, quod revera Codex *Recanatinus* addendum aut immutandum suavit. Hunc ergo Historicum, hisce curis comtiorem, immo ditior, accipient, ut spero, perlubenter Itali nostri; & quid dico Itali? Exteris etiam quibusque eruditionis amatoribus, non secus ac nostris, gratissimus continget novus hic Villani aspectus; nam & res gestas extra Italiam eam is diligentiam enarrat, ut ipsum in his quoque tamquam idoneum testem adhibere nemo dubitet. Qua tamen in re illud animadvertendum, Villanum ad contextendam sui temporis Historiam aliquando fuisse usum amicorum literis, qui in Anglia, Gallia, & Belgio versabantur. Publicas etiam Ephemerides, quas *Gazette* appellamus in suum Opus fortasse transfuderit. Quamobrem quum in Lib. VIII. Cap. LXXVIII. teterrimum proelium narret actum in Belgio inter Galliae Regem & Belgas, narrationem hisce verbis concludens: *Et io Scrittore posso cio per veduta testimoniare, che pochi di appresso fui in sul campo, ove fu la battaglia, & vidi tutti i corpi morti*: dubitare profecto cogor, num reapse Villanus idem tunc in Belgio moraretur, & funestas pugnae reliquias conspexerit; An potius narrationem e Belgio scriptam suam faciens, incaute postrema verba retinuerit, quae ad alterum Scriptorem sint referenda. Certe Villanus *Ricordani Malaspiniae* Historiam summa confidentia expilavit, & eum, per quem profecerat, numquam nominavit, exemplo, ut omnes fatebuntur, parum laudando. Potissimum vero, ejus verba usurpavit, ubi de rebus gestis *Rodulphi I. Rom. Imperatoris* sermonem habet, minime animadvertens, se plane contraria de ipso *Rodulpho* tradere. Vide Lib. VII. Cap. XLIV. & LIV. Quae tamen dicta velim, non ut famam egregii Scriptoris minuam, sed ut Lectorem in ejus Historia cautior reddam. At ipse tandem Villanus loquitur.